



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

§. 1. Bonam & malam esse famem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

incredibili crudelitate, quam rabida esuries faciebat, absumerent? Immo audiimus, inclusos, alioque cibo destitutos, prærodisse sibimetipsis digitos, ut dixi, manus absumpsisse, & brachia eò usque manducasse, quò dentes poterant attingere; quoque os non potuit peruenire populando, saltem adhuc appetitum aspirasse, contempto omni cruciatu, quem morsus faciebat. Nonne hæc plus est, quàm Erisichthonia fames?

C A P V T IV.

*Fames quotuplex sit, & quàm varia? quamq̃ ex diuina prouidentia ad multa bona utilis?*

**H**æc ita esse, negari nequit, verum ut à malo bonum secernamus, ponendum est, duplicis esse generis famem, vnam moderatam, immodicam alteram; illa utilis, hæc naturæ aduersa est. Illa non est morbus, etsi ratione fragilitatis humanæ ac remedij rectè cum morbo comparetur; insana autem fames plus est quàm morbus. Moderata fames, quæ est concupiscentia calidi & sicci, usque adeò morbus non est, ut potiùs contrarium, hoc est, inappetentia cibi sit morbus; ipsa autem cibi cupiditas naturæ indita indicium sanitatis, & fulcrum existat. Miser est, qui cum nullum habeat alimentorum defectum, habet tamen defectum appetitus edendi, sine quo nulla esca sapit, sicut nec sine siti potio. Ut ergo condimentum cibi non inter mala, ita neque eiusdem cibi appetitum inter mala, sed inter bona, & naturæ conuenientia debemus numerare. Philosophum Poëticè loquentem audiamus:

*Illud item non est mirandum, corporis ipsa  
Quòd natura cibum quarit cuiusq̃ animantis.  
Quippe etenim fluere atq̃ recedere corpora rebus  
Multa modis multis docui, sed plurima debent  
Ex animalibus ijs, qua sunt exercita motu:  
Multaq̃, per sudorem ex alto pressa feruntur:  
Multa per os exhalantur, quom languida anhelant.  
His igitur rebus rarefcit corpus, & omnis  
Subruitur natura, dolor quam consequitur rem.*

I.

Lucret lib. 4.  
de rer. nat.

Propterea

Propterea capitur cibus, ut suffulciat artus,  
 Et recreet vires interdatus, atq; patentem  
 Per membra ac venas, ut amorem obduret edendi.  
 Humor item discedit in omnia, qua loca cumq;  
 Poscunt humorem: glomerataq; multa vaporis  
 Corpora, qua stomacho prabent incendia nostro,  
 Dissipat adueniens liquor, ac restinguit, ut ignem,  
 Vt ne possit calor amplius aridus artus.  
 Sic igitur tibi anhela sitis de corpore nostro  
 Abluitur, sic expletur ieiuna cupido.

Atrophia autem species est mala. Nam, ut Celsus scribit, *Atrophia est, qua corpus non alitur, & naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis vero in eorum locum subeuntibus, summa macies oritur; & nisi occurratur, tollit.* Hinc Varro apud Gellium, agens de numero septenario, ait: *Nec non id etiam est ad vim facultatemq; eius numeri augendas, quod quibus inedia mori consilium est, septimo demum die mortem appetunt.* Quemadmodum igitur omne nimium in vitium vergit, & verè quivis excessus noxius est; ita & fames, si exorbitet, inter morbos meritò potest computari, ut iam non solum *fames canina*, aut *lapina*, sed etiam *Melias*, aut *Saguntina* appelletur. Est enim molestus interpellator venter, si ei debitum vedigal non persolvatur; & stomacho araneante, incipiunt omnia membra languere, tandemque etiam homo famelicus in rabiem agitur. De utraque fame à nobis est agendum, quo fructu, quæ poenâ & æquitate diuinâ, inter mortales dominetur.

Gell. lib. 3.  
 No. c. 10.

Thucyd. lib.  
 3. hist.

Lazius in Ge-  
 nealogiæ  
 Austriacæ  
 commentar.  
 lib. 2.

## II.

Illud autem, ut quis omni ciborum appetitu careat, atque omnino non fame scat, vel ex morbo potest contingere, vel ex prodigio diuino, vel è diabolica deceptione, vel etiam ex poenâ Dei, quemadmodum Lazius refert, puellam quamdam, Anno M. CCC. XLVIII. in Austria, tempore magnæ caristiæ, cum à matre panem postulasset, & illa fortè impatiens doloris, famem decennem imprecata fuisset, decennio omni cibo abstinuisset, raro admodum aquæ potu se reficientem. Quod miraculo in poenam euenit. Excipio igitur hinc miracula, quæ neq; morbus sunt, neq; semper malum, sed quoddam beneficium Numinis singularæ